




Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt  
urn:nbn:de:gbv:3:1-557136-p0001-4

DFG



POSITIONUM CONTROVERSARUM,  
**EX JURE FEUDALI,**  
&  
**MATERIA DE SUCCES-**  
SIONE FEUDI.

24.

depromptarum ,  
**D E C A D E M**  
P RÆ S I D E  
**ERICO MAURITIO,**  
U. J. D. & Prof. Publ.

1665, 15.

34

*disputandam proponit*  
**FRIDERICUS plater /**  
Eques Livonus.

*Ad diem Mens. Julii,*  
horis mat.

*In Auditorio Jctorum.*

**T U B I N G Æ ,**

Typis JOHAN-HENRICI REISII.

**ANNO M DCLXV.**





## I.

**E**gitimatos, etiam per subsequēs Matrimonium, ipso Iuris Feudalis textu in 2. F. 26. §. Naturales, à Feudis removi Bronchorst, Vultejus, Sonsbecius, Fornerius, Hotomannus, Antonius Cōtius, Rittershusius, Niellius, Struvius, Ludwellus, Reusnerus, Carpzovius asserunt. At ejus dispositione non comprehendendi, Jacob de Belviso, Andreas de Isernia, Baldus, Alvarottus, Schrader, Hartman Pistoris, Bocer, Zasius, Curtius, Rosenthal, Finckelthusius, Gudelinus tuentur, quam communem esse Clarus voluit. Nobis priorum sententia, si de textu & dispositio- ne juris communis Feudalis quæratur, non immeritò arridet. Cæteroquin usu servatur, ut perindè ac legitimè nati admittantur ad Feuda: quod in Camera ita re- ceptum, Mynsingerus & Gailius: praxi Saxonica probatum Schulzius; verius esse hodiernis moribus Fridericus Sande, & Cyprianus Regnerus ab Oosterga in notis ad Bronchorstium; eamque sententiam usu servari & ser- vari debere Vultejus, ab eaque in judicando & consulendo non recedendum, Schurfius, ac, (quamvis non ni- hil dubitans) Ludwellus existimant. Nec alitè de moribus & consuetudine sentiunt janus ab Arcedula, Dn. Struvius, ac Reusnerus. Quamvis & illud observarint Hartmannus Pistoris, Hahnius ad Wesenbecium, & Struvius, nonnullis in locis speciali constitutione etiam legitimatos per subsequens matrimonium à Feudorum successione prohiberi.

## I I.

Clericos, si per Substitutum servire velint, in Feudis succedere, glossa, & Scenk Baro quidem voluerunt, quod nuperrimè acriter contra Finckelthusium defendere tentavit Quirinus Cubach. Certioribus argumentis illi nituntur, qui jure Feudali communi ad successione illos regulariter non admittunt: cum qnibus faciunt, post veteres Ludwello jam nominatos, Vultejus, Bocerus, Reusnerus, Schultzius, Carpzovius, Finckelthusius, Ludwellus. Quin & Saxonicum jus Feudale, quale id olim erat; cuius ista in eam rem verba sunt: *Pfaffen und Fräwen die sollen Lehenrecht darben*: & Imperialis Cameræ Assessores hanc ut veriorem probasse Mynsingerus tradit. Hodiè tamen passim moribus invaluisse, ut & Clerici succedant, & servitia per substitutum præstent, saltem in præcipuis Europæ Regnis & ditionibus non absurdè aliquis dixerit, cum in Germania id Consuetudine receptum Vultejus, Hanton, & Rosenthal: in Italia, Menochius: in Gallia Baro & Chassanæus notent: & quæ ex antiquo Saxonico Feudali jure adduximus modo, per Novellam Electoris Augusti in Electoratu isto mutata sunt, part. 3. Constit. 28. Atque hanc praxin probat etiam jus Feudale Livonicum, cuius in ineditâ hactenus Sylvestri ArchiEpiscopiconcessione des Erb und Gnadenrechts de anno 1457. ista verba sunt: *Derglichen Gnadt dhon wte ocf allen Clericken und Presterschafftē in unserm Stiche Riga beseten/ und ocf in den andern Stichten/ und under dem Grodwürdigen Meister und seinen Orden so de unser Domheren Presterschafft und Clericken mit En in glicker wise Erwogen mogen. Andere Geistliche und begewene Lüde beyder Konne söhlen in diese begnadingt nicht sin beschlagen/ und desßwigen*

desülvigen geistlichen, de so Erwen werden, de sollen uns  
wisen Naekomling und unser Kercken glicksamh de wert-  
lichen Ritterschap und Wanschap alle Plicht und Dens  
dorch sich edder andere alsz eu dat thomen wert, schuldigh  
sin tho dhonende und plegen.

## III.

Si Princeps Vasallus alterius, duos habat filios, u-  
num ante, sed alterum post acceptum Feudum Regale  
in lucem editum, quem primogenitum dicemus, & ad  
successionem admittendum existimabimus? glossa alicu-  
bi, Jacobus de Belviso, Cynus, Alvarottus, Johanes Faber,  
Zafius, Niellius, apud Dn. Ludvvelum, postacquisitum  
regnum vel principatum natum præferunt. Jacob de  
St Georgio, Baldus, Rebuffus, Antonius Corsetus in  
tract. de potestate & Excellentia Regum, ( secundum com-  
munem, ut ait DD. opnionem ) & Scraderus distin-  
guunt, hereditario jure Feudum per successionem ac-  
quiratur, an alio modo: priori casu etiam antea natum  
posteriori præferunt; secundo, eundem post genito ce-  
dere volunt. Ritterhusius post Hottomanum eo re-  
spiciendum putat, de primo genito simpliciter, an Prin-  
cipis vel vasalli, in legibus statutis vel pactis mentio sit?  
Priori in casu primo in lucem editus ex mente ipsius suc-  
cedit, secundo alter, natus demum post collatam digni-  
tatem & Feudum. Nos cum Barone Scenkio, Bocero,  
Gomezio, Covarruvia, Tiraquelle, Treutlero, & ad  
ipsum Bachovio, Arnisæo, Hugone Grotio, qui rem è  
variarum Gentium praxi eruditè explicat, Ludvvello,  
Finckelthusio, simpliciter primogenitum dicemus &  
præferemus, qui primo in lutem editus, DEI & naturæ  
ac legum quoque beneficio primus in Feudis Paternis  
& legitimus successor est.

## I V.

Collateralium in Feudis nullam jure communi Feudali successionem esse, Hotomannus, Gyphanus, Vultejus, Setzerus, ac etiam Snobelius perhibent. Verior tamen est glossæ, Schraderi, Sonsbecii, Zasii, Rittershusii, Borcholti, Jani ab Arcedurâ, Carpzovii, Schultzii, Ludwellique sententia, qui eorum successionem agnoscent. Jure tamen Saxonico expeditum est, collaterales nisi simultaneè investiti sint, à successione in Feudis excludi. Quod & ita jure Feudali Livonico constitutum videtur. Articulo enim tertio Resolutionis Regiæ Gustavi Adolphi datæ in castris prope Werben die 13. Augusti Anno 1631. hæc expresse leguntur, quæ subjicimus,  
**E**s wollen ihr Königl. Majest. unter den veris Dominis in dem gewonnenen Eiesland niemand als die in descendente & ascidente Linneâ Masculini generis seindt &c. verstanden haben &c. Im Ubrigen sollen die bona ins gesamte jure Feudi Masculini censiri werden.

## V.

Guilhelmus Fornerius Fratres Consanguineos à Germanis in Feudorum successione propter vinculi duplicitatem excludi scribit. Nos, ut cum Sonsbecio, Niellio, Vultejo, Snobelio, Everhardo Bronchorst, in feudo fæmineo & absolutè hæreditario id admitti posse concedamus; in aliis tamen non possumus eidem ad stipulari, sed negativam potius, quam & communem dixit Schraderus, cum autoribus antiquis, quos magno numero adduxit Ludwellus, ac ijs, quas ante nominavimus, tum Sneidwino, Hartmanno Pistoris, Carpzovio, Neostadio de Feudi Hollandici Successione amplectimur. Neque de jure solum communi, sed etiam Saxonico Feudali eam verissimam esse cum Hartmanno Pistoris, Carpzovio, Struvio persuasi sumus.

## VI.

Jure Feudali quomodo gradus computentur, ambiguum fecere Doctorum dissidia. Peculiarem, ac à Civili & Canonica diversam computationem Bocerus invexit. Canonica Fachinæus, Hartman Pistoris, Hotomannus defendunt. Nos pro Civili computatione graduum cum antiquis plurimis à Ludwello adductis, quam & probat Rosenthal, Niellius, Snobelius, Vultejus, (qui ante Hotoman-

mannum à nemine rem hanc in dubium vocatam ait) Reusnerus (qui eam in Camera approbatam & receptam afferit) Janus ab Arcedula, Finckelthusius & Dn. Struvius pugnabimus.

VII.

Si Vasallus alicui Feudum legaverit, an saltem aestimatio debetur? ita existimat Donellus, Hunnius, Mantica, Valentinus Riemerius, Dn. Carpzovius, & Dn. Ludwellus. Nobis, cum DD. cæteris, Alvarotto, Matthæo de Afflictis, Jacobino de St. George, Curtio juniore, Claro, Rosenthalio, Rudingero, Rittershusio, Sonsbecio, Mozzio, Jano ab Arcedula, Heigio, Vulteio, Obrechto, Bocero, Hakelmanno in addit: ad Sneidwinum, Scultzio, Finckelthusio, Dn. Richtero & Dn. Struvio regulariter aliud videtur. Si tamen abundè constet de voluntate testatoris, volentis aestimationem eo casu præstari, illa præstabitur, ut rectè Struvius notat, non quidem à successore Feudi, sed bonorum, quomodo id cum Schradero, Obrechto, Schultzius etiam observavit.

VIII.

Fœminam semel ad successionem admissam, si deinceps accedit Masculus, excludi nonnulli putarunt. Unde Andreas de Isernia Materteram per Nepotem ex sorore excludi vult, eamque opinionem in secreto (ut loquitur) juris veriorem seputare scribit Jacob. de St. Georgio, & probat Forsterus. Nos, ut (fatente ipso Jacob. de St. Georgio) non dubitamus oppositam sententiam communem esse, & secundum quam in judicio pronuncianendum sit: ita eandem etiam juri magis congruere agnoscamus cum antiquis, (quos recensuit Dn. Wurmserus in Tractatu de Feudis impropriis.) Rosenthalio, Schradero, Vultejo, Jano ab Arcedula, Struvio, Ludvello, Snobelio, Finckelthusio, Wurmsero. Si tamen quis uxorem prægantem reliquisset, eaque deinceps masculum vel fœminam peperisset, aliter pronunciandum judicamus, cum Jacob de Belviso, Scenio Barone, Vultejo, Sceplitz & Dn. Wurmsero.

IX.

Semel per Masculum exclusa non propterea in perpetuum exclusa intelligitur, ut rectissime docent Martinus Laudensis, Jacob.

cob de Belviso, Ardizo, Sonsbecius, Heigius ( qui ita in Collegio Juridico Wittenbergensi pronunciatum ait , ) Hermannus Vul-  
ceus, ( qui in eandem sententiam in Collegio Juridico Marpur-  
gensis pronunciatum perhibet ) Finckelthusius ( qui ita respondis-  
se Lipsienses ) & Besold, ( qui Tubingenses J Ctos approbasse  
testatur) Hartman. Pistoris, Julius Clarus, Welenbecius, Mynsin-  
ger, Plebst in Disp. Feudalibus, Arumæus, Niellius, Schultz, Fri-  
dericus à Sande, Obrecht, Rudinger, Suevus, Snobelius, Lud-  
velli, Wurmserus. Atque Carpzovius Jurispr. Forensis part.  
Constit. 28. defin. 15. negativam *rationibus & argumentis tam fir-*  
*mis propugnasse I Ctos excellentissimos scribit, ut qui relietis hisce fru-*  
*gibus adhuc glandibus vesci malit, vix inter prudentes locum tueri*  
*suum possit.* Plurimos tamen etiam opposita sententia patronos  
habuit, Andream de Isernia, Jacob Alvarottum, Matthæum de Af-  
flictis, Zasium, Scenk Baronem, Mozzium, Curtium Juniores,  
Borcholt, Gothofredum Antonium, Knichen, Schraderum, Bo-  
cerum, ac quod imprimis miror, ( quodam ut videtur memorie  
lapsu ) ipsum Dn. Carpzovium in disput. Feudalibus disp. 5.  
thes. 58.

## X.

Soli si sint fratrum filii, ad quos pertinet Feudi successio, an  
in stirpes succendent, an vero in capita? Successionem in stirpes  
probat Accursius, Bartolus, Castrensis, Baldus, Alvarottus, Cur-  
tius junior, Sonsbecius, Gudelinus, qui Hotomannum con-  
sentientem laudat, Cyprianus Regneri, qui etiam Clarum, Anto-  
nium Fabrum, & Fridericum à Sande pro hac opinione nominat,  
ē quibus tamen postremus immerito adducitur, cum judicium su-  
um suspendat. Nos cum plurimis à Ludvello nominatis, qui-  
bus addi possunt Bronchorst, Reusnerus, Carpzovius  
Finckelthusius, Struvius, eos succedere in  
capita tuebimur.

X2615924

VdA7




Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-557136-p0012-5

DFG

# Farbkarte #13

B.I.G.



24.  
VERSARUM,  
IDALI,  
UCCES.  
OI.  
M  
RITIO,  
ubl.  
Plater I  
ii,  
REISIL